

ita et oratio. Ideo Sanctus Jacobus dixit: *Tristitatur aliquis vestrum? Oret.* Scimus melancholiam Saulis depulsam fuisse cithara Davidis, psaltis et prelatoris peritissimi, 1. Regum XVI. Idem in aliis quoque mœstitia oppressis præstat oratio, ut ipsi David in tristitia posito. Ita enim ait, Psalmo CVIII. *Pro eo ut me diligere, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Ubi Divus Chrysostomus, hom. XXIX. in Gen. « Vidisti inquit, unde quærat auxilium? Alii dolos machinabantur, et calumnias, et insidias, ego autem ad inexpugnabilem murum confugio: ad tutam anchoram, ad portum fluctuum expertem, preces, inquam, per quas omnia levia et facilia mihi fiunt. » Eadem musica serenavit mentem, mœrore afflictam Anna mater Samuelis, quæ: *Cum amaro esset animo, oravit ad Dominum, flens largiter.* Sed quid fructus orationis ejus? *Abiit mulier in viam suam et comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati.* 1. Reg. 1. Prius enim præ se ferebat vultum modo mœstum, modo iracundum, modo in terram demissum, ob sterilitatis opprobrium, et Phenennæ improprium: per orationem vero adeo exhilarata fuit, ut jam nihil curaret, quidquid ipsi objiceretur. Unde S. Chrysost. hom. 1. de fide, ait: « De hac muliere forsitan aliquis non absurde dixerit: Qui seminat in lacrymis, in exultatione metet, » Psalmo CXXV. quasi oratio sit semen, quod tristitiæ lacrymis rigatum, lætitiæ fructus pariat. Quod non de Anna illa dumtaxat, sed de ipso etiam Christo Domino dici etiam potest. Qui enim ante orationem in monte Oliveti fundendam, cœpit pavere et tædere et mœstus esse, post orationem surrexit ad certamen totus impavidus, serenus et tranquillus, occurrens velut et leo armatæ cohorti, ut observat S. Laur. Justinianus, de triumphali Christi agone, cap. VI.

VI. Alii quam plurimi thus et thymiam, seu suavissimum suffitum, ad Deum nobis placandum potentem et efficacem; et hoc est ipsis sacris litteris. Psalmo enim CXL. appellatur thus seu incensum: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Apoc. V. dicuntur: *Phialæ aureæ plenæ odoramentorum esse orationes sanctorum.* Solebat enim in phialis thymiam offerri in templo Salomonis, in altari thymiamatis, (ad quod alludit Joannes) ad placandum iratum Deum. In cujus rei documentum Abraham mortua Sara duxit uxorem Cethuram, Gen. XXV. quæ significat thus vel incensum: ut discat unusquisque fidelis orationem sibi habere adhaerentem et inseparabilem, ac si conjux esset, ut observat Irenæus, in eum locum. « Patriarcharum conjugia, inquit, semper indicant aliquid mysticum. Cethura interpretatur incensum et bonus odor: ille Cethuram duxit uxorem, et

bonus Christi odor efficitur, qui sine intermissione orando offert Domino semper incensum in conspectu suo. » Quia frequentissime delinquimus; saltem venialiter Deum inhonorando; justum est ut ad manum semper habeamus thus orationis, quo eundem nobis reconciliemus, exemplo Davidis, qui Ps. XIV. ait: *Apud me oratio Deo vitæ meæ; quasi dicat: Semper ad manum habeo medicinam, quando aliqua ratione Deum vitæ meæ tutorem offendi, thus orationis. Quam vero ad eum finem potens sit oratio, colligitur ex oratione et sacrificio Noe: odoratus est enim Dominus odorem suavitatis ejus, et promisit se in posterum non deleturum aquis mundum, Gen. VIII. Deinde, ex oratione Moysis, qua tenuit iratum Deum, ne gladium suum stringeret in populum desertorem et vituli adorantem, Exod. XXXII. Id enim indicat Deus illis verbis: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos et deleam eos.* Chaldaeus scribit: *Intermitte precationem, faciamque te in gentem magnam.* Quod jure miratur S. Bernardus, sermone de B. Maria Magdalena cum ait: *Promittit plurima Moysi creator omnium: et ferendi licentiam quærit a Moysè, qui Moysen fecit.* Voluit nimirum Deus ea loquendi formula indicare, quantum apud ipsum valeant piorum preces: *Sententia enim Dei sanctorum precibus frangitur,* ait S. Hieronym. in c. XIII. Ezechiae. Hinc Deus puniturus impios vel impedit justorum pro eis preces, uti factum legimus, Jeremiæ VII. cum castigaturus Israelem præcipit Jeremiæ: *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem, et ne obsistas mihi: vel e vivis auferit, juxta id Isaia LV. A facie malitiæ collectus est justus.**

VII. Aliqui denique thesaurum et divitias nuncupant, quod homo orationi deditus omnis generis opibus spiritualibus ditari facile possit. Ita S. Chrysostomus, homilia V. de incomprehens. Dei nat. « Aptissima arma oratio est, thesaurus certe perpetuus, divitiæ inexhaustæ, etc. » Et, l. II. de orando Deum: « Quemadmodum, inquit, uti regina quæ piam ingreditur civitatem, necesse est, ut omnis opulentia pariter consequatur: sic videlicet posteaquam deprecatio, etc. » Atque hinc est, quod dæmon vehementer laboret, ut perturbet orationes nostras, novit enim quantum ex oratione capiamus præsidium et thesaurum; livore igitur et odio stimulatus mille phantasias menti nostræ objicit, ut sine fructu saltem oremur. Id expertus est sanctus quidam abbas Marcellus, qui in patro spirit. cap. CLII. quasi de alio (revera autem de se) narravit: « Quod nocte quadam surrexit, ut psalmos ex more caneret. Cumque psallere cepisset, audivit vocem buccinæ quasi bellicum

clangentis; turbatusque senex cogitabat dicens: Unde hoc in loco vox buccinæ perstreperit? Milites hic non sunt, bellum hinc abest. Et cum ista secum volveret, dæmon prope illum veniens dixit ei: Utique bellum. Si ergo oppugnari ac repugnare non vis, vade, dormi, et oppugnaberis. Dixit iterum senex: Credite mihi filioli, nihil ita perturbat, et cogitat, et iritat, et vulnerat, et perdit atque contristat, et contra nos commovet dæmones, ipsumque perditionis auctorem Satanam, sicut perpetua psalorum meditatio. Nam omnis quidem divina Scriptura utilis nobis est, contristatque non mediocriter dæmones, non tamen ita sicut psalterium. Sicut enim in plebe, si una pars laudet imperatorem, alia pars ob id non contristatur, neque movetur contra laudantes; cum vero ad injurias et contumelias non laudantium conversi fuerint, tunc adversus eos excitantur: ita et dæmones non ita commoventur, neque contristantur in aliis Scripturis, quemadmodum in psalmis. Nam cum psalmos meditatur, partim quidem nobis ipsis Deum laudando oramus, partim vero maledictis insequimur dæmones.

CONCIO V.

VITA CHRISTI SIMILIS CURSUI SOLIS.

I. Sol erat in ortu suo. — II. In progressu vitæ. — III. Sol erat in efficacia.

THEMA.

Exivi a Patre et veni in mundum: iterum relinquo mundum et vado ad Patrem. Joan. XVI.

Paucis verbis Christus Dominus totam vitæ suæ periodum, in qua tot tantaque gessit, quæ mundum implere possent, describit in hoc evangelio: *Exivi a Patre, inquit et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Describit autem fere eo modo, quo David, Psal. XVIII. sub typo et similitudine solis: *Ipse tamquam sponsus*, ait, *procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam: a summo caelo egressio ejus, et occursum ejus usque ad summum ejus: nec est qui se abscondat a calore ejus.* Hunc enim quem videamus solem, expressum gessisse Christi typum, agnoscent non pauci patres; uti Sanctus Joannes Damascenus, in orat. de transfiguratione; Athanasius Sinaita, l. V. hexan. S. Chrysost. in homilia de virtute, to. V. « Ecclesiastes dicit, inquit, oritur sol et occidit sol, et ad locum suum revertitur. Ortus est nobis sol justitiæ Christus, de sancta Maria secundum carnem generatus: oriens quippe nomen est illi: occidit

vero quando post crucem ad inferna descendit. De hoc sole justitiæ et Malachias (c. IV.) pronuntiat, dicens: In diebus illis orietur sol justitiæ, et sanitas erit in pennis ejus. » Sic ille. Ex solis igitur periodo investigemus cursum vitæ Christi Domini.

Tria tanguntur psalm. cit. in sole consideranda: ortus, assimilatus progredienti sponso de thalamo: deinde, cursus ab oriente ad occidentem, comparatus cursui gigantis: denique, efficacia, qua per calorem suum omnia lustrat, fovet et vegetat.

I. Primo, in ortu suo Christus egressus est velut sol oriens et sponsus de thalamo suo. Recte imprimis per thalamum intelligimus castissimum Deiparæ uterum cum Sancto Augustino in prædictum psalmum: « Ipse, inquit, tamquam sponsus, cum Verbum caro factum est, in utero virginali thalamum invenit utque inde naturæ conjunctus humanæ, tamquam de castissimo procedens cubili, humilis misericordia infra omnes, fortis majestate super omnes, exultavit ad currendam viam. » Verum magis forsitan ad litteram processit de thalamo, quando e mundo errorem et ignorantiae tenebris oppleto prodiit, velut sol in nocte, dum ascendere super horizontem ex occulto nobis inferiori hemisphærio incipit et lucem adfert nocti hemisphærii nostri. Hinc Ecclesia Christi nativitati applicat id Sapientiae XVIII. *Cum quietum silentium continerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de caelo a regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit,* h. e. in medium terræ perditæ, extrema ignorantia et malitia laborantis. Quam etiam ob causam media nocte Christus nasci voluit, ad indicandas mundi tenebras, eo tempore vigentes. Secundo, processit instar sponsi gloriosus et spectabilis cum cœlestibus signis; quo modo et sol in ortu suo est speciosissimus, cinctus undique aurora velut corona præmittens luciferum vel paranympum suum: afferens secum lumen jucundissimum. Præmisit enim Joannem Baptistam velut luciferum et paranympum, sanctitate et sapientia conspicuum. Præmisit auroram, sanctissimam matrem suam tenebrioso mundo plurimum lucis inferentem: e qua ipse prodiit velut sol, totius fons luminis; ad hæc venit cum splendore et stupendis miraculis, mittens angelum ad pastores; stellam ad magos, varia denique alia signa, quæ annotarunt historici per varias regiones.

Tertio, sic progressus est, ut quemadmodum sol oriens non statim in omnibus, sed iis, qui in altis degunt, montibus et turribus illucescit: ita ipse non subito omnibus, sed quibusdam sibi magis conjunctis et excellentioribus lumine

suum impertit; imprimis S. Joseph, inde Joanni Baptistæ et parentibus ejus; postea pastoribus, vigiliis super grege suo gnaviter agentibus; deinde tribus magis, siderum contemplationi et oraculorum studio addictis; postea ss. illis senibus Simeoni et Annæ prophetissæ. Qui omnes quo humiliores coram mundo, eo altiores erant coram Deo, juxta Psal. CXI. *Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors et miserator Dominus.* Sic etiam solet sponsus primarios suos amicos invitare ad suas nuptias, et præferre aliis.

Quarto, uti sol non simul ac semel totum illuminat hemisphærium, sed sensim magis et magis, quo altius ascendit, ita etiam Christus suam divinitatem sub humana natura veluti sub nebula vel densa exhalatione nonnihil latentem et obscure emicantem, paulatim procedente ætate magis et magis explicavit, unde dicitur a S. Luca profecisse *ætate, sapientia et gratia apud Deum et homines*, nimirum instar solis, qui dum ascendit altius et altius super horizontem, non fit in se calidior aut luminosior, sed quoad effectum magis et magis splendorem et calorem suum effundit atque expandit. Id apparuit in Christo, cum jam duodennis medius inter doctores sapientiæ suæ radios explicare cœpit, inde paulatim magis in patria sua ostendere, etc.

Quinto, sol in exortu suo amœnus est et suavis, quia nec calore nimio affligit, nec lumine obruit hominem: at in meridie fit ingratus et fere intolerabilis, dum nimis calefacit, et splendore suo oculos reverberat. Quod idem fere et sponso accidit, qui dum sponsum est, sponse acceptissimus est: at progressu temporis eum subinde sponsam propter aliqua vitia redarguere incipit, tum gratiam deperdit et molestus ei fit. Non aliter Christo contigit, dum in infantia, pueritia et adolescentia signa tantum benevolentiae et gratiae synagogæ ostendit, deinde initio prædicationis suæ morbos depulit, obsessos liberavit, vinum in nuptiis, panem in deserto providit, gratus omnibus fuit: ita ut eum rapere et regem vellent constituere. At ubi demum in potentum et magistratum vitia invehi, eorumque navos ostendere cœpit, jam ingratus et exosus factus est. Venit aliquando in suam patriam et prædicavit in synagoga, ita ut omnes mirarentur *in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus.* At posteaquam addidit: *Nemo propheta acceptus est in patria sua;* idque ex Scripturis comprobavit, mutatis mox animis ejecerunt eum e civitate et præcipitare conabantur, Luc. IV. Idem expertus est apostolus in Galatis, ut patet in ejus epistola ad Gal. IV. et Sanctus Chrysostomus, qui per vim ab in-

peratore Antochia extractus et Constantinopolim adductus, postquam ibi in vitia etiam imperatricis invehi cœpit, ejectus est. Idipsum per sæpe concionatoribus evenit, ut initio excipiantur magno cum applausu, dum nihil adhuc carpunt: ubi vero tandem edocti experientia grandia observant auditorum scelera et gravius objurgant, tum non solum inamœni, sed exosi etiam fiunt: quomodo Archagatus medicus cum Romam, ubi medicinæ usus non fuerat, primum venisset, et multos persanasset, omnibus gratus jus Quiritium et tabernam in compito Acilio consecutus est; at ubi vulnera maligna secare et urere cœpit, odium civium incurrit, vulnerarii et carnificis nomen accepit, auctore Cassio Hemina, apud Plin. l. XXIX. c. 1.

II. In progressu suo *exultavit ut gigas ad currendam viam; a summo celo egressio ejus, et occursum ejus usque ad summum ejus.*

Primo, sol celerrimo cursu totum percurrit et perlustrat orbem intra brevissimum viginti quatuor horarum spatium. Pari modo Christus spatio trium annorum et medii prædicatione sua pervasit totam Judæam et Galilæam, implevitque sua doctrina et fama sanctitatis ac miraculorum suorum: postea per apostolos suos duodecim intra paucos annos disseminavit evangelium suum per universum orbem; cæterum uti sol in oriente minus habet virium, quam in occidente, ita fides Christi magis viget in regionibus in occidentalibus, quas pene jam deseruit. Unde S. Augustinus, l. IV. conf. c. XII. de Christo: *Exultavit*, inquit, *gigas ad currendam viam. Non tardavit, sed cucurrit clamans dictis, factis, morte, descensu, clamans ut redeamus ad eum.* Quod etiam in ipsius persona loquens asserit David, Psalm. LXI. *Curri in siti, scilicet animarum.*

Secundo, sol quacumque vadit, terram et quæ in ea degunt, vegetat, fœundat, recreat, sanat, vivificat, fovet et conservat, ubique suæ beneficentiæ vestigia relinquens. Pari modo Christus teste S. Petro, Act. X. *Pertransiit (Judæam) benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo;* alludens ad solis cursum; ac si aperte dicat, ejus cursum non alium fuisse, quam solis, qui vitæ infatigabilis dator, illuminando et fovendo mundum, perpetuo discurrit. Unde S. Ambrosius in Lucam ait: *Ubique, Jesus, ubique sanat, in itinere, in domo, in deserto ut Deum se et hominem demonstraret;* adeo ut in cruce etiam latronem e faucibus Satanæ eriperet, centurionem eum cohorte illuminaret, circumstantes ad percutienda pectora commoveret. Posset hoc in omnibus Christi itineribus non difficile ostendi. Transiturus per mare Tiberiadis ad Gerasenos, sedat in trajectu tempestatem. in

termino duos liberat dæmoniacos, Matth. VIII. Inde redit Capharnaum, et sanat mox paralyticum. Inde egreditur ad mare, et in via vocat Matthæum. Vocatus inde ad filiam archisynagogi, in via sanat hæmorrhœissam; in termino suscitavit puellam; in reditu duos cæcos sequentes se luce donat, Matt. IX. Alio tempore ascendit Jerosolymam ad festum Scenopagiæ: in itinere tuetur civitatem unam Samariæ quam igne cœlitus misso perditam volebant duo Boanerges; inde progressus obvius habet decem leprosos et emundat eos, Matt. XIX. Pergens iterum Jerosolymam ad passionem suam, in via ante ingressum Jericho cæco donat lumen: in ingressu salutem impertit Zacchæo, in egressu rursum alterum cæcum, (ut indicat Marcus, c. X.) a cæcitate liberat. Denique, quaversum ibat, beneficia et dona plusquam regalia, upote divina, in miseros dispergebat: præterquam quo continuo *circumibat castella in circuitu docens*, ut ait S. Marcus, c. VI. vers. VI. ubi verbo *circumeundi* continuam et indefessam ejus indicat excursionem. Quod Theophilus Antiochenus, in catena aurea recte observavit. *Non solum, inquit, in civitatibus prædicabat Dominus, sed etiam in castellis, ut discamus parva non spernere, etc.* Filii hujus sæculi contraria via incedunt. *Ubique relinquamus, inquit, signa lætitiæ nullum pratium sit, quod non pertranseat luxuria nostra,* Sapient. II. plane serpens chersidros, qui quacumque serpit, fumum emittit, teste Lucano, l. IX.

Tertio, sol semper currit, nunquam stat aut quiescit. Pari modo Christus semper in exercitio fuit, etiam cum dormiret: tametsi parum et raro dormiebat, et plerumque in oratione pernocabat. Unde S. Bern. in epist. CCLIII. ad Guarinum abb. scribit: « Ipse hominis sæculique auctor quamdiu in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, nunquam stetit, et quidem teste Scriptura pertransiit benefaciendo et sanando omnes. Pertransiit ergo sicut non infructuose, ita non remisse, non pigre, non lento gressu, sed quemadmodum item de eo scriptum est: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Porro currentem non apprehendit, qui et ipse *periter non currit, etc.* » Quare sicut peritus et solis medicus nullam minus incolit domum quam sua: alienas vero perpetua vicissitudine frequentat, ægrotis scilicet providens: ita Christus Dominus nunquam domi suæ, a quo temporæ prædicare cœpit, inventus, sed alibi semper in obsequio aliorum fuit.

Quarto, sol cum ad supremum mundi verticem in meridie ascendit, tunc calidiores in terram radios vibrat, quibus aeris nebulas absorbit, et umbras nemorum extinguit, claris-

simaque luce mundum illustrat. Ita enim Christus in medio vitæ humanæ, anno scilicet ætatis 33. necnon in medio die in cruce erectus majores amoris sui flammæ ejaculatus est in homines, quorum pectora accendit ita, ut qui ad spectaculum illud aderant, percutientes pectora sua reverterentur; peccatorum caliginis abolevit, et totius generis humani salutem operatus est. Typice hæc salus promissa fuit; 1. Reg. XI. quando populus Hebræorum promissis viri Jabes Galaad auxiliarem manum, nuntians: *Cras erit vobis salus cum incaluerit sol.* Incaluit autem sol justitiæ Christus, maxime cum in cruce ad meridiem circa auram diei sextam exaltatus fuit; quia tunc ostendit mundo charitatis suæ fervorem, et percussit eum radiis suis, ut et ipse in amorem ejus incalesceret, cum pro ejus redemptione et salute æterna dedit ipse vitam suam et infamem sustinuit crucem. Rursum cum in celum assumptus inde misit ignem Spiritus s. e quo mox 3000. hominum ita incaluerit Christi amore, ut fide suscepta terrena omnia abjecerant. Non absque mysterio olim Nehemias urbis Jerosolymæ custodibus præcepit: *Non aperiatur portæ Jerusalem, usque ad calorem solis,* II. Esdr. VII. significavit enim allegorice portas cœli non reserandas, priusquam Christus ascenderet, ubi perfectissimo amoris igne incalescens, sua morte vitam nostram mirabiliter redimeret.

Quinto, cum sol se directe inter ipsum et oculum nostrum luna interponit, adeoque recta opponit, tunc obtenebrescit et eclipsatur sol: ad breve licet temporis spatium, donec corpus lunæ sibi objectum pertranseat. Christus etiam eclipsin passus est, cum directe et ex composito cum omni conatu et violentia diaboli synagoga ipsi se opposuit, et Pilato crucifigendum tradidit, adeoque ejus conspectum amœnissimum toti mundo abstulit; verum ingenti suo damno, et maximo ipsius Christi et Christianorum bono. Nam et Christus tertio die emersit e mortis tenebris, et lucem suam maxime cum fœnore recepit, et orbi reliquo toto impertit ac donavit; ipsis vero incredulis Judæis tenebras, quas causarunt, reliquit; uti prædixit Amos, c. VIII. *Et erit in illa die, dicit Dominus, occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis: et convertam festivitatem vestram in luctum, et omnia cantica vestra in planctum.* Experti sunt id Judæi, et sentiunt usque modo, dum in tenebris cæcitatibus suæ sub jugo Christianorum et aliarum gentium gemunt. Solem nimirum extinxerunt, et hinc diem sustulerunt, remansitque eis nox: e contra tenebræ gentilium, qui susceperunt Christum, conversæ sunt eis in clarissimum diem. Hoc

ipsum significavit eclipsis solis, quæ patiente Domino miraculo effecta fuit, ut explicat S. Chrysost. Hom. II. de cruce et latrone. « Hodie inquit, apud Iudæos ab ora sexta usque ad horam nonam sol obscuratus est. Non enim ferre poterat æther injuriam creatoris. Retraxit radios suos ne videret impiorum facinora, non quod deitatem injuria tangeret, sed quia quæ audaci superbia fiebant, in contumeliam ejus reputabantur. « Hodie, inquit, apud Iudæos tenebræ sunt, apud nos autem nox in diem conversa est. Etenim pietati hoc proprium est, ut in tenebris fulgeat: impietas autem etsi in lumine fuerit, tenebrescit. Fidelibus mox in diem mutatur, infidelibus autem ipsa lux tenebrescit. [Et de fidelibus quidem ipsa Scriptura dicit: Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur. Infidelibus autem et dies in noctem mutatur, dicente Scriptura: Palpabunt sicut cæci parietem, et ambulabunt in meridie, sicut in medio noctis. »

III. Efficacia solis tangitur illi Psalmi verbis: *Nec est qui se abscondat a calore ejus.* Etenim primo sol est mundi oculus, quo sublato cæcus est et sterilis. Ita etiam Christus mundi hujus lux est, qua sublata mera cæcitas et ignorantia, errorumque chaos, mera quoque virtutum sterilitas erit. « Quemadmodum si sol non esset, ait Clemens Alexandrinus, orat. ad gent. quod alia quidem astra attinet, nox essent omnia. Ita nisi verbum cognovissemus, et eo illuminati essemus, nihil differremus ab avibus, quæ pascentur, ut qui pinguescamus in tenebris, et morti nutriamur. » Patuit in gentilibus, qui ante Christum vixerunt: ubi nemo fere Deo, sed mundo omnes et carni vivebant: neque sicut in die honeste, sed velut in nocte foede ambulabant. Unde Dominus. Joan. VIII. *Ego sum lux mundi; et, c. IX. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Fuere etiam prophætæ et viri sancti lumina quædam mundo, sed exigua, et quasi stellæ: unde de Joanne Baptista ait Joannes evangelista: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine (Christo scilicet). Erat lux vera (Christus) quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Itaque sicut stellæ omnes lumen suum a sole accipiunt, ita omnes sancti suam lucem, sapientiam et sanctitatem mutuuntur a Christo ut fatetur ipse Baptista, Joan. I. *De plenitudine ejus omnes nos accepimus.* Ipse enim velut sol et fons lucis in omnes fideles suam effundit lucem et gratiam, nec tamen inde minus habet, quia est lux prima et infinita per essentiam. Joannes illuminavit Judæam, alii sancti alias orbis partes: Christus totum mundum. Alii foris lumen aliquod menti accendere possunt per rationes et discursum: Christus

præterea etiam mentem intus et immediate illustrare lumine infuso potest: quomodo illustravit prophetas et apostolos et evangelistas. Jam: *Si cæco damnatum est hujus solis gratiam non videre,* inquit S. Ambros. IV. Hexa. c. 1. *quanto magis peccatori damnatum, veri luminis munere defraudatum perpetuæ noctis tenebras sustinere?*

Secundo, sol quidem omnes illuminat, quantum est in ipso: sed si quis oculos claudat, aut dormiat, vel fenestræ valvas claudat, aut speculum subeat, nihil ab eo luminis accipiet, sua tamen culpa. Pari modo Christus ad omnes omnino homines suum extendit lumen: ubique prædicat evangelium suum. Sed si quis audire id negligat, sibi adscribat. Ut enim academia seu universitas omnes admittit, quicumque studere et erudiri volunt; (unde et nomen habet) eos tamen, qui discere nolunt, non cogit ad se accedere: ita Christus omnibus lucem suam proponit, si qui tamen eam fugiant, sibi adscribant si in tenebris hæreant ac pereant. Non enim frustra dicitur, Ps. XXXIII. *Accedite ad eum et illuminamini,* q. d. si qui illuminari volunt, accedant ad lumen, veniant ad scholam. Venit aliquando Christus in patriam suam Nazareth, et ibi prædicabat, sed: *Non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit,* ait S. Marcus, c. VI. *propter incredulitatem eorum;* qua ocluserant oculos suos, ne viderent hoc tam speciosum lumen. Unde S. Basil. in Psal. XXXV. ait: « Quemadmodum enim sensibile hoc lumen non omnibus similiter exoritur, sed habentibus oculos et vigilantibus, his autem qui nullo interstite impedimento prohibentur, quin frui possint claritate solis primum adventantis: sic et justitiæ sol verum lumen, quod illuminat omnem venientem in hunc mundum, non omnibus suum splendorem præbet, sed his qui vivendi formulam nihil ipso indignam exigunt. Lux, inquit, orta non peccatori, sed justo. Ut enim ortus est sol, non vespertilionibus, quæ noctu predeunt pabulatum: sic ei lux sua quidem natura splendiflua est, ac vi prædita illuminandi, non tamen omnes claritatis participes existunt. Sic et omnis qui male agit, odit lucem: et non venit ad lucem ut ejus opera non manifestentur. Accedite igitur ad ipsum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur. » Accedit Origenes, hom. 1. in Gen. « Sicut sol et luna illuminant corpora nostra: ita et a Christo atque Ecclesia illuminantur mentes nostræ, ita tamen illuminamur, si non simus mentibus cæci. Nam sicut sol et luna corporalibus oculis cæcos, quamvis illustrent, illi tamen recipere lumen non possunt: ita et Christus lucem suam præstat mentibus nostris, sed ita de

num nos illuminabit, si nequaquam cæcitas mentis impediatur. »

Tertio, qui propinquiore soli inter utrumque tropicum habitant, et maxime qui sub zona torrida, plus ab eo luminis et caloris participant. minus, qui remotiores, ut qui ad septentrionem. Eadem ratione, qui Christo, fonti omnis lucis, propius se jungunt (adjuti Dei gratia, non puris naturæ et liberi arbitrii viribus, ut docebant Semipelagiani, facientes Dei gratiam *liberæ arbitrii pedissequam*) resistendo et recedendo a *Saturno*, se humiliando, orando, penitendo, charitatis opera exercendo et Deum amando, plus sortientur luminis et caloris a cælesti illo sole. Ita enim ait S. Jacobus, c. IV. *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Quem locum expendens Origenes, loco paulo ante cit. ait: « Sicut non æqualiter oculi corporis nostri illuminantur a sole, sed quanto quis in loca altiora conscenderit, et ortus ejus editoris speculæ intuitionem fuerit contemplatus, tanto amplius et splendoris ejus vim percipiet et caloris: ita etiam mens nostra quanto altius et excelsius appropinquaverit Christo, ac se viciniorum splendori lucis ejus objecerit, tanto magnificentius et clarius ejus lumine radiabitur, sicut ait per prophetam: *Appropinquate mihi, et appropinquabo vobis.* » Exemplum præbuit nobis Chananaea illa, quæ dum a longe sequens Christum orabat, repulsam sæpius passa est, at ubi instando ferventius orationi prope ad Christum accessit, exaudita est ut observat Eusebius Emisenus, in eum locum: « Relicto jam clamore, inquit, qui eminus fiebat, prius accessit. Nos autem non ita, sed ubi statim non assequimur, desistimus, cum propius oporteret accedere, et frequentius orationi incumbere. »

Quarto, sol conciliat sibi hominum imo omnium animantium amorem, ut ad ejus lumen prodeant e domibus et latebris, apricatum et gavisum ejus calore et lumine. Non aliter Christus Dominus, si quis ipse sit, et quæ ejus vivendi ratio fuerit, agnoscatur, omnes ad sui amorem trahet, adeo ut præ ipso omnia alia spernant. Solem adeo adamarunt gentiles plerique, ut pro Deo haberint quemadmodum et Manichæi hæretici; quia nihil amœnius, nihil jucundius, nihil utilius ejus lumine noverunt. Hinc enim non vidisse solem, erat proinde ac nun-

quam vel frustra vixisse, *ut patet ex Ecclesiaste, c. VII. Frustra venit et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus. Non vidit solem.* At infinites miserior et frustra natus est, qui non novit neque amat Christum: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi,* ad Col. II. In quo pii omnes inveniunt suas delicias et divitias, easque inexhaustas, dum ejus gesta et dicta medicantur summa cum dulcedine.

Quinto, sol quandoque nocet iis, qui ab ejus æstu sibi non cavent. Præter experientiam enim legimus Judithæ conjugem æstu solis, tempore messis enectum, Judith VIII. et filium Sunamitidis itidem tempore messis, IV. Reg. IV. Pari modo Christus, tametsi natura sua suavissimus et ad miserendum pronissimus, simul tamen est justissimus; quare si quis spreta ejus clementia temere incurrit in ejus justitiam, sentiet ejus æstum et percutientes radios. Nosse vultis quando? Dico tempore messis, h. e. judicii tam particularis cujusque, quam universalis de quo Dominus ait Matth. XIII. *In tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum.* O æstum intolerabilem! Hinc Malach. IV. *appellatur sol justitiæ: habens licet sanitatem in pennis suis, sanitatem enim justis, justitiam et iram affert injustis.* Quemadmodum enim Samson (qui exponitur *parvus sol*) suæ gentis quidem amantissimus et studiosissimus fuit, adeo ut pro ea vinciri se passus sit, ut incircumcisorum, scilicet Philisthæorum, hostis et persecutor acerrimus: ita Christus Dominus suis quidem servis amicissimus, hostibus vero hostis infensissimus est; quod experientur saltem in die messis et judicii, post hanc vitam. Fons in Troglodytis esse dicitur, *fons solis* appellatus, apud Plin. lib. 4. c. CIII. qui interdum quidem dulcis est et frigidus, suavis bibentibus, noctu vero amarus et fervens; ita ut nec tangi queat. Non absimilis huic fonti Christus est, quem si in die et tempore quo bene operari licet, de fonte gratiarum ejus bibamus, suavissimum experiemur: at si qui in nocte primum cum jam bene agendi tempus non est, ex ipso bibere velint, sentient ardentissimum atque amarissimum. Nos ergo ex hoc fonte bibamus dum dies est, et hauriamus salutem a Domino.